

B.M.II.122.

X 1876057

h.29, 2i. IN AVGVRALIS DISSERTATIO,

De

# COMITIIS IMPERII ROMANO-GERMANICI,

QVAM  
D. O. M. A.

DECRETO ET AVTORITATE CLA-  
RISSIMI ICTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI IVLIA

SVB PRAESIDIO

*Amplissimi & Consultissimi Viri,*

**DN. IOHANNIS LOTICHI,**  
I.V.D. & Pandectarum Professoris Ordinarii, Fa-  
cultatis Iuridicæ p.t. Decani, Dn. Præceptoris ac  
Promotoris sui honorandi,

PRO DOCTVRAE GRADV, EIVSDEM QVE  
summis honoribus, privilegiis ac insignibus  
in Utroq. IVRE consequendis,

Publicæ censuræ submittit

**DANIEL Rauscheplat/ Göttingensis.**  
IN NOVO IVLEO

*Ad diem 12. Augusti.*

Horis ante & pomeridianis.

**HELMÆSTADI,**  
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.  
ANNO CIC XC XLI.

II K  
1778

16.c.r.



INAGRARIA DISSESTITO  
COMITIUS  
PER ROMANO  
GERMANICU

D. O. M. A.

ACCEPTO ET TANDEM RUSTICA CE  
RISERVATIUS IN COTOKA QDINIS  
IN MELKARTINIA

Q. F. S. V. S. D. I. O.

Autographe Compligatae N.



DANIEL SCHÜTZEN GOETHE  
IN NOVO ITALIO

Heft 10. 1750. 1751.  
Hochzeit von Sophie

ANNO CIV. MCCLXII  
Zwischen HEINRICH und AGATHA  
ADM. 1750.

Quod felix faustumq; sit!

D

# COMITIIS IMPERII ROMANO-GER- MANICI.

## THESIS I.



Vm summa Reip. conservatio  
in prudenti gubernatione, ac strenua  
justitiæ administratione consi-  
stat, per necessarium erit ei, qui non  
modo circa jus privatū, sed publi-  
cum versatur, iis quoq; quæ ad statū  
Reip. pertinēt addiscendis operam  
navare. Non enim altero tantum  
debet esse instructus L L. Candida-  
tus: non specter ille tantum suam  
privatorumq; utilitatem; sed etiam publicam, ad quam po-  
tissimum se natum esse sciat. Due enim sunt iuris nostri po-  
sitiones: aliud est publicum, aliud privatum. Vtrumque defini-  
tur Legibus, Constitutionibus, Ordinationibus, Decretis: alterum si-  
ne altero facile explicari non potest. Hæc igitur repetere  
& profiteri ICti est officium. Idcirco & nos quædam de  
Comitiis videbimus, quæ possunt ad præliminaria & quasi  
inter mœnia juris publici referri. Et cum rerum huma-  
narum, ut ait Philosophus, augustissimum sit consultatione uti,  
summus Reip. Princeps, cui nihil prius esse debet quam salus

populi, omnia prius experitur consilio, in primis quod suggeritur plenâ prudentum ac procerum virorum deliberatione. Siquidem quod plurimorum concordibus sententiis ordinatum fuerit, id ad beatitudinem Reip. & ad Principis gloriam omnino redundare potest. Romani olim id observarunt, quos comitia frequenter coegisse legimus, cum consilia de statu rei Rom. capessenda essent. Idem Imperatores Romano-Germanici adhuc hodieque probant, quando ad proceres Imperii, sicubi id Reip. exigat necessitas, vel sadeat utilitas, partem sollicitudinis deferunt, omnes ac singulos in senatū convocant, ut secum de summa Reip. & de iis, quæ in ejus salutem cedant, deliberent. Hinc conventus universalis habetur, quem nomine comitiorum propriè significamus, quorum delibatis prius in gnere de definitione ac divisione, quibusdam, in specie deinceps constitutionem ac dissolucionem enarrabimus.

II. Comitiorum definitio alia nominis, alia rei est. Nominis quæ est, illa *Etymologiam*, *Homonymiam*, & *Synonymiam*, nobis explicat.

III. Comitia, si *etymon* quærimus, alii à coeundo, vel juxta veteres à comeundo; alii vero à communiter itando rectius ea derivata existimant, quod proceres totum Imperium repræsentantes simul & communiter ad unum locum consultandi causa itare soleant.

IV. *Homonymiam* sat copiosam nobis suppeditant illi, qui quoslibet conventus particulares comitia quoq; appellant. Proinde dicendum, *nomen comitiorum sumi vel latè ac Impropiè, vel strictè, ac propriè*.

V. *Latè ac Impropiè* sumitur, quando *conventus*, ut dicitum, *particulares comitia* vocantur, cujusmodi sunt conventus Deputatorum, Visitatorum, Electorum &c. de quibus paucis sub jungemus sequentia.

V I. *Conventus Deputatorum*, in Rheyß Sachen, celebratur, quando Elector Moguntinus nomine Imperatoris certos Imperii status Francofurtum ad consultandum de eliminandis motibus, adversus statum unum pluresve, aut totum

tum circulum, subortis convocat, juxta præscriptum *Recessus Imperii de anno 1555.* s. so sich dann abermals. Hic conventus vocatur ein Deputation oder Reichs Deputation Tag / de quo videatur etiam *R. I. de anno 1594.* s. Was vnd so viel.

VII. *Conventus Visitatorum* ille est, qui à certis Imperii statibus quotannis institui debet ad visitandam Cameram Imperialem, äller für gefallenen Gebrechen des Cammergerichts Noturfft zu verhören / zu ordnen / zu handeln vnd zu versehen / ut Cameræ Imp. ipsiusq; ordinationis constantia eo magis foveatur, ut ait Maximilianus I. in *R. I. de Anno 1507.* rubr. Das eines jeden Jahrs. Carolus V. in *R. I. de anno 1521.* rubr. Wie das Cammergericht / add. *Ord. Cam. part. I. art. 50.*

IX. *Conventus Electorum* habetur, quando PP. Electores, quotiescunq; & quandocunq; necessitas sive casus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promovendi emergit, conveniunt juxta *Ordinat. Carolin. in Aurea Bulla tit. I.* pr. & §. præterea. tit. 4. vers. caterū. Dicitur hic conventus electoralis ein **Wahltag** / de quo agitur in tit. 2. A. B. Porrò singulariter quoque præ aliis Imperii statibus indultum est PP. Electoribus, ut absq; specialis veniae Impetratiōne pro salute & incolumente Imperii conventum agere possint, juxta A. B. c. 12. Quod olim quidem quotannis factum fuit ; hodie vero teste observantiā non nisi summā necessitate flagitante, id fieri solet. Et cum plurimum intersit Reip. hunc celebrate conventum, PP. Electores, ne potestas hæc diminuatur, vel intervertatur, juratam cautionem capitulatione Cæsarea sibi stipulantur. *V. Capit. Caroli V. art. 5. Ferd. II. art. 4.* Dicitur hic *conventus collegialis* ein **Churf. oder collegial Tag.**

X. Huc quoq; refertur *Conventus Circulorum.* Imperium R. G. sub Maximiliano I. in comit. August. ann. 1500. in sex regiones seu circulos fuit divisum, deinde in Com. Colon. anno 1512. quatuor adhuc alii ordinati, atque ita totius Imperii decem circuli constituti sunt *V. R. I. de anno 1522.* rubr. Hernach folgen die zehn Kreiß / quibus inter alia conservanda pacis ac utilitatis publicæ gratiâ permisum est, ut

certis de causis vel omnes simul, vel singuli seorsim conven-  
tum einen Kreistag celebrent.

X. Item huc quoque potest referri *Conventus provincialis*, quem provinciae dominus indicit, quando status s. or-  
dines die *Landstände*, qui sunt de ipsius territorio ipsiusq;  
juri subjecti, convocat, ad consultandum de eo, quod ratio  
status & salus publica requirit. Hanc convocandi potesta-  
tem territorii dominus jure superioritatis habet, ejusque  
consecrarium est paritio in conventibus provincialibus  
auff Landtagen erscheinen.

XI. Strictè ac propriè nomen comitiorum sumi dici-  
mus, quando significat universalem Imperatoris ac omnium  
ordinum S.R.Imperii conventum einen allgemeinen Reichs-  
tag oder Reichsversammlung.

XII. *Synonymicam* nominis interpretationem quod  
attinet, sciendum, comitia quandoque appellari *Curiam so-  
lennem, Imperialem*. Hinc Aurea Bulla dicitur lata partim in  
solenni curia Norimbergensi, partim in curia Metensi pro-  
œm. A.B. item c.12. & c. 24. eod. Deinde comitia quoq; vo-  
cantur *Congregationes, Concilia Imperialia*. Item *Diæta* metony-  
micè appellantur comitia. Diæta enim Græcis est locus ju-  
dicatorum, in quem conveniunt *dιαιτηταὶ* arbitri. Germ. vo-  
cantur *Reichstag/Versammlung aller Reichstände/gemeine  
Reichsversammlung*, item, *Hoff/Königlicher und Kaiserlis-  
cher Hoff/ pass. in R.I.*

XIII. Hæc de nominis definitione. Comitiorum *definitio*  
quā vocant realē, facile dari non potest, neq; necesse est. Nos  
ita ~~defessim~~: Comitia esse Conventum universalem, quo  
de S. Imperij necessitatibus relevandis & utilitatibus pro-  
movendis communi suffragio consultatur, atq; decernitur.  
Nimirum totum hīc repræsentatur Imperium, ac tota salus  
Imp. in deliberationem ac consultationem communem ve-  
nit. Hoc scitè exprimit *Guntb.in Ligur. lib.1.*

*Huc sacri celebresq; viri, quos laude serenâ  
Insula, vel gladius mundo facit esse verendos,*

*Ex*

*Ex omni regione fluunt, ad publica regni  
Commoda, de summis agere ac disponere rebus  
Exacta ratione parant.*

XIV. *Explicata definitione; progreendiendum nunc ad divisionem. Vno ferme modo, & communiter dispescunt comitia, in universalia, & particularia. Verum quia haec divisio non ut generis in species: sed ut vocabuli æquivoci in sua æquivocata esse videtur, lubet eius loco hanc sustituere, quâ comitia alia sunt plena, alia minus plena. Nimirum quando cum Imperatore omnium Imperii procerum confessus conspicitur, plenus perhibetur senatus, plena comitia; Secus vero est, & minus plena censentur quando status quidam negligentia vel contumacia inducti non comparent, sed ita ut nullâ emanentium habitâ curâ nihilomin' negotiū comitiale tractari & definiri possit. Alias si per quam pauci statuū in persona comparent, ac cæterorum nuncii cum mandatorū insufficientia accedunt, comitia non haberi, sed indicta prorogari potius dixerim, uti factum VVormatia Anno 1545.  
Ratispona Anno 1546.*

XV. *In specie nunc Comitiorum explananda tum constitutio, tum dissolutio. Constitutio primo concernit statuum conuentum, deinde Tractatum comitiale.*

XVI. *Conveniens statuum fit, Indictione, & Comparitione. Indictio s. denunciatio habendorū comitiorum, daß Aufenthun und Erfündigung eines Reichstages/desiderat causam efficiētēm à qua & formalem per quam, deinde subiectum, cui fieri debet.*

XVII. *Comitia solus Imperator jure Majestatico indicit, sed cum assensu PP. Electorum, uti videre est in multis Imp. Recessibus. Olim equidem Imperatoribus citra ullius placitum comitia cogere jus fasque fuit, verum cum ordinum Imp. multum interesse crederetur, comitia haberi vel non haberi, ac, prisci Imperatores non raro pro libitu & necessitate non ita magnâ flagitante status convocarent, bella obtenderent, eorumque nomine tributa exigerent,*

*XIX*

*sen.*



sensim cœpit hoc jus temperari, ita ut comitia non nisi prævio EE. scitu amplius indicarentur. Quod hactenus observatum iri Imperatores capitulationibus juratò promittunt. *V. Capit. Caroli V. art. 12. Ferdinandi II. art. 10. Ferdin. III. art. 13.* Consensum autem PP. EE. repræsentando hac in re omnes status non tantùm primæ inductioni; verum etiam prorogatorum comit: reassumptioni necessariò accommodant. Cumque Imperator causas, ob quas comitia indicenda, cuiusvis PP. EE. seorsim significet, prout refert *Auct. Tract. de comit. Aug. Vindel. Anno 82, celebr. in pr.* in observantiam venit, ut seorsim quoque easdem expenderent, ac Indictioni consenserint. Quamvis alias EE. consensus, quoties & quandounque is ad negotium requiritur, ab omnibus una vel parte majori collegialiter accommodari debet. Atque ita Imperator comitia indicit. An autem Regi Rom. vivente adhuc Imperatore electo idem competit, potest addubitari? Illum cūquidem re ita exigente posse convocare status, sed nontam sua quām Imperatoria autoritate putamus. Sic Ferdinandus I. Carolo V. adhuc vivo electus comitia indixisse, iis interfuisse ac decretum comitiale confirmasse constat ex *Rec. Imp. de anno 1542, §. So haben dem allen / §. Hierumb vnd / de anno 1555. §. Solches alles vnd jedes/ & sim.* Porrò etiam PP. EE. Palatinum & Saxonem, qui ex *Ordin. Carolina A. B. tit. 5. Sacri Imperii vacantis Vicarii atque provisores constituti sunt, comitia cogere posse dicendum videtur.* Tantùm enim ad Vicarios, quoad administracionem, transfertur, quantum habuit Imp. prædefunctus, exceptis duntaxat principalium feudorum causis, omniq[ue] genere alienationis ac obligationis rerum Imperaliū, *d. tit. s. A. B.* Et ratio potest esse quod etiam Imperatore defuncto Imperium ejusq[ue] jura majestatica durent ac Vicariis vice & nomine S. Imperii interim administranda concedantur, velut latius probari potest per ea quæ habet Buxtorffius ad *A. B. conc. 71. 72.*

XIX. Ad formam s. modum indicandi requiritur, ut certo tempore, ad certum locum per literas evocatorias comitorum indicatio fiat.

XIX. Temp-

XIX. *Tempus comitiis habendis certum hodie atque ordinarium non est, nec facile præfinitur nisi singulare aliquod Reip. impendeat periculum Olim equidem annuatim instituebantur comitia R.I. de Anno 1495. tit. Das ein Reichss Tag sol ein Monat weren.* Et repetiit Maximilianus I. conventione hac de re cum Imp. statibus habitâ, ut quotannis comitia celebrarentur, R.I. de anno 1512. §. Item haben wir. Quod tamen præcisè semper observatum non fuit. Deinde Carolus V. itidem frequentius ac quoties sibi salutare visum, comitia indixit, veluti ex serie decretorum Imp. constat. Hic si quæratur utrū præstet? dicent alij consultiūs esse sæpius, ac certo tempore comitia haberri, V. Bertramus in Tr. de com. th. 25. alii contra frequentiam comitiorum incusabunt, ut fecit Aeneas Sylvius Epist. 72.92. V. Dn. Arumentus d. comit. c. 1. n. 7. Quicquid sit, dicendum videtur, non tam temporis præscripto, quam necessitatis ac publicæ utilitatis casu existente comitia cogenda esse, ne per nimiam frequentiam Principes sæpe abjectâ subditorum curâ, magno cum sumptuum dispendio, extra suas provincias ad comitia abire jubeantur, neve per nimiam omissionem labascat Imp. regimen ac decus, cum utiq; melius sit occurrere in tempore & intacta jura servari, quam post causam vulneratam remedium querere. Quibus incommodis benè quoq; occurritur, quando Imperator causas indicendi conventus PP. Electoribus primùm ideo exponit, ut, eæ an justæ ac sat graves & quo tempore examinandæ sint, secum deliberent, ut constat ex form. R.I. Als haben wir nicht vimb gehen können eine gemeine Reichsversammlung nach vorgehabten Raht vnser vnd des heiligen Reichs Churfürsten auff den ersten Tag des Monats/ 2c. Sin autem Imperator remissor adhoc erit negotiū, poterunt PP. Electores ipsi instigatores esse, prout Ferdin. I. illis liberum esse voluit. R.I. d. anno 1555. §. vnd so abermals.

XX. Deinde ad certum quoque locum German. Mahlstadt des Reichs Tages status evocandi sunt. Olim apud Romanos locus comitiis destinatus erat campus Martius,

ut refert Bertramus d. tr. ex Nicol. Gruch. lib. 1. de com. Rom.  
c.5. Postea prisci Cæsares in villis ac pagis tandemq; in civi-  
tibus conventus celebrarunt. V. Dn. Arum. d. tr. c.5. n.19. &  
seqq. Hodie juxta ordinationem Caroli IV. in A.B.Tit. 25. vers.  
invenimus, electus Rom. Imper. in oppido Norimbergensi pri-  
mam suam regalem curiam habere debet, nisi impedimen-  
tum legitimum obviat. Cui ordin. non erit derogatorium,  
ut putant, quod Imperatores post Carolum IV. raro No-  
rinbergæ primas regales curias habuerint, ut cognoscitur  
ex R. I. quodq; hodie Imperator noster Ferdinandus III.  
S. A. primam curiam imperiale, Ratisbonæ celebrat, si-  
quidem id contigit ob legitimum impedimentum, quo ob-  
viante, cum ex ipsius Legislatoris permisso à constitutione  
recedi possit, non inducetur eidem observantia contraria.  
Attestantur de hoc ipsi Impp. Carolus V. in Recess. de anno 1521.  
pr. Maximilianus II. in R. de anno 1566. §. Wie wol dann Mat-  
thias in R. d. anno 1613. §. Wie wol dann / Si vero postmodum  
comitia habenda, tunc loci commodi assignationem PP. E-  
lectores plerumq; Imperatoris arbitrio relinquunt, sedita-  
ne extra fines Imperii, quod totum decem circulis determi-  
natum est, ut supra dictum, quodq; lingua germanicâ utitur  
ac simul supremam Imperatoris jurisdictionem agnoscit, sta-  
tus evocat. Etenim cum absolum sit de rebus Imperii ex-  
tra Imperium consultare, electus Rom. Imp. antequam re-  
rum potiatur juratò asseverat, daß er sonderlich keinen  
Reichstag außerhalb des Reichs Deutscher Nation fürz-  
nehmen vnd ausschreiben wolle / sunt verba Capitulatiois Caroli  
V. & Ferdinandi II. An autem semper in civitate Imperiali  
comitia habenda? Ita dicendum juxta observantiam quæ  
conspicitur in Recess. Imp. Et Imperatores post Carolum  
IV. comitia Imperii in liberis Imp. civitatibus, propter  
majorem rerum affluentiam, & quia ipsis Imperii arcana,  
quæ in minutolorum Magistratum notitiam devenire non  
debent, cognita sunt, semper habuerunt, ait Dn. Arum.  
d. tr. c. 5.

XXI. Requiritur demum ut indicatio fiat per litteras evocatorias s. comitiales Germ. Kaiserlich Aufschreiben zum ReichsTage/ quibus Imperator statibus Imperii comitia ob causas urgentes habenda esse denunciat , causas & capitula tractationis describit, certum diem statuit , locum assignat eosdemque ad illum convocat , ita ut ipsimet accedant vel ad hoc si minus valent, ut legatos suos, quod ut plurimum speciatim permittitur, plenâ cù potestate eo mittât. Convocatio hęc an exprimatur formulā Imperandi an vero formulā roāgdi perinde est quoad inductionē legitimā. Solet autē addi convocationi clausula hęc comminatoria, dein L. Oder du erscheinen alſdañ oder nicht/ sol doch mit andern zum Beschluss gehandelt werden/ vnd D. L. verbunden seyn/ was also beschlossen/ zu leisten/ quando negotium adeo arduum atque necessarium est ut coram paucioribus in deliberationem deduci haut queat, uti refert Aut. de comit. Augusta.c. i. ibi. Wann auch die Sachen/ ibiq; addit PP. Electores contra eam clausulam, ut Electorali autoritate indignam, quondam protestatos fuisse, sed frustra. Illud quoque receptum est ut litterae Evocatoriae singulis imperii statibus offerantur. Talis enim convocatio eò magis citatum movebit, ne tardius vel rarius, prout olim evenit, cum status generali edicto vocarentur, compareat. Exindeque ante comitorum diem secum perpendere possunt, quid deinceps, cum convenerint, consultare expediat, ne ex improviso de summa Reipub. consilia præcipitare necesse sit.

XXII. Porrò vocantur ad Comitia Status Imperii, die Reichstagd oder Reichsrähte. Status autem Imp. dignoscitur ille, qui habet jus sessionis ac suffragii in comitiis, der Stim vnd Stand in Reichsversamlung hat/ R.I. de anno 1548. s. Wann auch/ R.I. de anno 1570. s. Nach dem/ Hoc jure potiuntur immediatè subiecti tum Imperatoris tum cæterorum, qui status jam sunt, assensu & allectione, quæ ut plurimū hodie mediante successione in jus primi acquirentis, aut electione ad certos principatus. quibus jus comitorum

inseparabiliter conjunctum est, contingit. Et hæc *νομωνία*  
*τῆς ἀρχῆς πολιτικῆς* veram status Imp. notam præfert, cūjus ad  
probationē habetur, *matricula*, in quā statuū nomina sunt re-  
lata. Hujusmodi autem consignatio non ita necessaria est, ac  
si ex non statu statum faciat; sed requiritur ad hoc ut quisnam  
in hunc regium senatū cooptatus sit possit intelligi, ad quem  
nulli accedere permittitur, nisi *hoc iure* decoratus ipsiusque  
*nomen vel proprium vel avitum* in matricula primitus rece-  
ptum fuerit. *Eleg. text. ad hoc in l. 10. C. de cohortal.* Cumque va-  
riæ matriculæ produci possint, verior esse agnoscitur, quæ  
*anno 1521.* consilio & assensu statuum emendata est. *R.I. de anno*  
*1576. §. Wann auch zu Frankfurt/* quæ quidem adhuc respe-  
ctu pensitationū der Anschläge/ac moderationum earundem  
imperfecta *R.I. de anno 1603. §. Hierumb/ in fin.* sed nihilo-  
minus in decernendo observari debet, nisi evidenter de-  
monstretur contrarium. Comitia itaq; indicuntur statibus  
Imp. quorum *tres* habentur *ordines*: prius *PP. Electorum* est,  
alter *Principum reliquorum*, tertius *Civitatum Imperialium*.

**XXIII.** *PP. EE.* primò tanquam propinquiora, *ut*  
*ait Carolus IV. in A.B. S. Imperii membra, ad comitia vo-*  
*cantur.* Horum alii sunt Ecclesiastici, alii Seculares. *PP. Ec-*  
*clesiastici*, utpote Archiepiscopi *Moguntinensis, Trevirensis &*  
*Coloniensis*, in comitiis jus sedendi ac suffragandi perinde ac  
in conventu Electorali jus eligendi tanquam principes ac  
status Imp. obtainent, quorum in numerum *electione capitula-*  
*rium* referuntur, dum occasione ejusdem ad principatus Ec-  
clesiasticos, nec non beneficia, regalia & privilegia, quæ ab  
Imperatore recognoscuntur, perveniunt. Hoc exinde jure  
uti possunt, utut à Pontifice pallium, *de quo vid. Speidel. notabi-*  
*lia* nondum acceperint vel confirmati fuerint, cum hæc &  
similia illos ut Ecclesiasticos saltem concernant, *arg. eorum*  
*quæ proponit Buxtorff. ad A.B. th. 18.* An autem sede vacante, h.e.  
mortuo Electore, capitulum ad comitia evocari debet? Af-  
firmat hoc ex observantia quæ per Recessuum subscriptio-  
nes probatur *Bertramus d. T. th. 37. Dn. Arum. d. T. cap. 5. n.*

105. Alii addunt rationem, quod omne jus quod habuit præses ad capitulum, unde capitulares dicantur des Stifftis Erbherren/ revertatur.

XXIV. PR.EE. Seculares, veluti Rex Bohemiae, comes Palatinus, Dux Saxonie & Marchio Brandenburgicus, omnes quidem in electione Regis Rom. iuxta ordin. Carolin, in A.B.tit.20, virtute suorum Principatum jus, vocem, & alia quoque iura obtinent; ast in comitiis Palatinus, Saxo & Brandenburgicus jus & vocem duntaxat habere dignoscuntur, æquè ratione principatum, quorum possessores ex successione, quæ iisdem jure primogenitura defertur A.B.c.7. facti sunt. Regem Bohemiae statum non esse quidam asseverant, quidam econtra statum illum esse, sed honorarium & privilegiatum, existimant. Quicquid sit, si statum Imp. ex sessionis suffragiique communicatione in comitiis dijudicari verum est, falsum non erit dicere Bohemum Imperii statum non esse, utpote qui illorum particeps non est, uti constat ex responso Ferdinandi I. Regis Boh. ad fratrem Carolum V. in comit. August. anno 1548. celebratis, ubi inter alia dicit Ferdinandus: Zu dem das ein König zu Böhmen zu einem Reichs Tage nicht beschrieben würde/ auch weder Stand noch Stimme im Reichs- Rahmen hätte. Hoc resp. extat apud Dn. Arumaum D. T. cap. 4. num. 45.

XXV. Secundo in ordine sunt reliqui Principes Imperii, tum Ecclesiastici tum seculares. PP. Ecclesiasticos, ad quos referimus, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Abbatissas & Prælatos, jus comitorum habere certum est. Et constat hunc ordinem in Imperio R.G. jam inde multis à seculis in partem sollicitudinis Imperialis adsumptum, jure regali ac territoriali instar PP. politicorum investitum ac decoratum esse, quò essent consultatores, in omni cura circa regimen vel ecclesiasticum vel seculare suscipienda. Ab hac tamen dignitate secludi volunt Antistites Augustanæ religioni addictos, vigore articuli illius, quem vocant Reser-

B 3 v. 15  
vatum  
hs



*vatum ecclesiasticum* de quo in R. I. de anno 1555. Und nach dem bey vergleichung. Etsi vero illi de jure & ordine conservando saepius protestati, ac denuo in Comitiis Ratisp. anno 1613. conquesti fuerint, Das etliche vornehme Stände auff der geistlichen Bank von ihren gebührenden Sessionibus abgehalten/ theils auch gar nicht beschrieben / noch ihre Gewalt angenommen worden / allein aus der Ursache / das sie sich zu der Evangelischen Religion bekennen / sc. Est tamen transactione Pragensi aliter decisum.

XXVI. PP. Seculares, utpote Archiduces Austriae, Dukes, Principes, in specie sic dicti, ut PP. Anhaltini, Comites Palatini, Landgravii, Marchiones, Burggravii, non quidem omnes in hoc ordine habentur; sed prout certis familiis distincti, ita certi ex iisdem ad diem comitialem evocantur, qui comitiorum ius successione & possessione Principatum sibi acquisivere. Vbi notandum: quando successio defertur ex jure primogeniturae, successor primogenitus solum personam legitimam in comitiis sedendi adipiscitur: Si vero plures in aequales portiones Feudi Ducatus vel Marchionatus &c. succedunt, singuli tunc, modo Imperator divisionem Feudi approbet, nec non unumquemque de portione sua investiat, jus status ac comitiorum consequuntur. Et hoc expedire Reip. ait Bertramus d. Tr. th. 41. Damit also das Reich an seinen Gliedern/ Stimmen und Anlagen gesteckt/ R. I. de anno 1570. §. Nach dem auch/ p. 023. Si in econtra pro indiviso plures Principatum possident, omnes representando unam personam jura quoq; principati connexa pro indiviso habent. Ast unstantum, so das Stammhaus besitzlich inn hat/ nomine omnium votum ac sessionem in Comitiis observat, quod probari potest per R. I. de anno 1570. §. Bey Beurtheilung. An autem ad successores hos jura comitiorum statim apprehensâ possessione ipso jure; an vero demum per Investituram Cæsaream devolvuntur? Prius dicendum, Connexorum enim paritas est. Constat autem principatus, quorum virtute jus suffragandi aliaque regalia exercentur,

ad

ad heredes statim post apprehensam possessionem, etiam ante petitam investituram spectare. Ergo in simul iura quoque cohærentia ad eosdem pertinebunt. Fusius id confirmant Buxtorff. ad A.B. concl. 85. lit. H. Bertram. d.t. th. 40. Ad PP. classem etiam referuntur Comites & Barones, sed ii, qui statuum jure gaudent & cum Principibus unum senatum in Comitiis constituunt, quos refert Dn. Arum. d.t. Non autem æquè huc, ac olim, referuntur, Nobiles liberi s. immediatè Imperio subiecti, veluti, die freye Ritterschafft zu Franken / Schwaben vnd Reinlanden / R.I. de anno 1542. R.I. de anno 1500. Evidem hi jure Comitorum uti desierunt, quod à tempore Maximiliani I. ad modernum usque observatum testantur Rec. Imp. Neque quicquam urget immediata horum subjectio. Si quidem planè diversa sunt, imperio immediatè subjectum, & statum esse Imperii, nec illa ad efficiendum statum ex se se efficax est, cum immediati etiam sint, qui tamen status non sint. R.I. de anno 1564. §. Und wollen wir. Rationem, cur nobiles comitiis interesse desierint, si inquiris, Dn. Limnae lib. 6. c. 3. ridiculus haberis, qui totum hoc à libera Imperatoris voluntate dependere existimat. Expediet tamen scrutari consilium quoddam ad quæstionem, an nobiles statibus Imper. rectè æquiparentur, datum, quod extat apud Besoldum in Thes. Pract. voc. Reichs Stand. Interea tamen quia cum statibus parilia quoque privilegia censentur habere, eosdem requiri à Cæsarea Majest. ad charitativum subsidium probant Besold. Dissert. d. Ord. Equest. n. 11. Mingius d. super. territ. th. 46. R.I. de anno 1500. R.I. de anno 1564. §. Und wir als Römischer. R.I. d. anno 1576. §. Dann weiters.

XXVII. Tertio in ordine sunt Civitates Imperiales liberæ, die Kaiserliche Reichs oder Freye Reichs Städte / quæ pariter cum reliquis statibus ad dies comitiales citantur, deque Reip. salute communia habent consilia. Diversimodè illarum appellatio dignoscitur ex Rec. Imp. unde disquiritur, quid inter eivates Imperii liberas & civitates simpliciter Imperiales intersit? V. Besold. Diss. de Iur. Imp. Civit. n. 40.

vit. n. 4. Limn. lib. 7. c. 1. n. 34. Nobis præ aliis placet assertio  
Dn. Arumæi d. tr. c. 4. n. 127. Atque hi ordines statuum Imperii ad comitia vocantur, in quibus omnibus immediata, conspicitur subiectio. Propter mediatam vero subiectiō nem, nemo comitiorum particeps esse potest. Excipi tamen possunt *Duces VVürtenbergici*, qui Ducatum à domo Austria als ein Affterlehn; non vero immediatè ab Imperatore accipiunt, & nihilominus sunt status Imperii. *Vid. quæ Vietor in tr. de causis Exempt. concl. 28. ex Goldasto refert.* An & alii quoque præter status Imp. evocandi? Dicendum: si subiecti Imperio, quin vocandi, re ita exigente, nullum est dubium. Exemplum nobis præbet citatio *B. Lutheri* qui à *Carolo V.* ad Comitia VVormatiæ indicta anno 1521. convocatus, ut de libris à se editis suaque confessione redderet rationem, *Sleid. lib. 3. c. 1. in pr.* Si vero saltem confederati aut plane exteri sunt, tunc, quando instat necessitas, quæ eosdem æquè tangat, ut ab iisdem simul curetur, vocantur. Condignum hoc existimavit *Carolus V.* dum Pontificem ac alios Magnates ad subsidium contra invasiones Turcicas invitari, eorumque legatos ea de re ad Imperii conventum evocari voluit. *V. R. I. de anno 1530. §. Darauff haben/ & §. seq.* Idem voluit *Rudolphus II.* v. *R. I. de anno 1603. §. Hietumb vnd.* De Legationibus exterorum Magnatum in Comitiis Imperii R. G. *Vid. Autor. de Com. August. de anno 82. c. 12.*

XXIX. Hæc de Indictione, quâ taliter factâ statuū requiriatur obsequiosa comparitio. Indictio namq; Comitorū, quæ jure majestatico efficitur, haut dubiè parēdi necessitatē infert. Ac præterea principalior finis, cur statuū ordines ex universo corpore selecti, hic est, ut, quandoeunq; de Reip. Salute statuendū, cum principe summo in Senatum eant, eiq; suffragando adstant. Ad quod se adstrictos quoq; status confessi sunt in comitiis Ratisp. *V. R. I. de anno 1576. §. Wann dann die Churf.* Hic porrò dispiciendum venit quomodo status compareant, ac comparentes excipientur.

XXIX. Status in Comitiis comparent aut immediatè aut media-

mediate. *Immediatè*: quando evocatus ad diem comitialem accedit. Sunt quidam qui viris PP. personalem comparitionem dissident, sunt alii qui persuadent. Illi multa incommoda ex hoc profluentia enumerant, cuiusmodi tamen ex supervenienti potius abusu suboriri dixerim, qui verum rei usum nequaquam tollere debet; hi vero præsentiam ipsorum PP. Augustam autoritatem permovere ac rei serio feliciterq; tractandæ magnum adferre subsidium afferunt. Carolus V. statibus aliquando sub poena indixit ut personaliter accederent *V. R. I. de anno 1522. §.* Und wies wol/ in fin. quandoque causas tractandas populique salutem hoc ita exigere significavit; *V. R. I. de anno 1546. §.* Dieweil wir/ in fin. Summatim Imperatoria Maj. ordines Imp. ad personalem comparitionem potest urgere, ipsique ad præstandum obsequium regulariter sunt obligati, quod cum aliis haut obscurè innuunt excusationes causarumq; absentiæ allegationes, quæ fiunt quando in persona ad comitia ire nequeunt. *V. Aut. de com. August. c. 2.*

XXX. Mediatè status comparent, quando nuntios gebolsmächtige Räthe vnd Botschafften/ ad locum comitialem ablegant. Fitque hoc ob justum *Impedimentum*, quod vel difficultas vel necessitas aut personæ conditio intert. Sic civitates difficultate, sic status alii corporis infirmitate vel negotiorum necessitate impediti selectos & Idoneos ad negotium tanti momenti consiliarios & nuntios plena cum potestate nomine suo mittere possunt. Quod plerumque etiam in literis evocatoriis permitti solet. Plenam autem potestatem s. *mandatum* ablegatus præmonstrare debet, si modo domini sui personam præsentare ejusque vice jus sedendi & votandi legitimè obtainere velit, uti ex formula hujus mandati, quæ extat apud *Aut. de com. August. c. 2.* patet, ubi porrò admonetur, quod hujusmodi mandato, si opus est, substituendi *Clausula* inseri possit, nimirum ut primùm ablegatus, si fortean ob causas, antequam regalis curia finiatur, eum abire oporteat, aliun in locum suum sufficere queat, ne abitus

C

talis

talis domino ullum pariat præjudicium. Ab hoc aliud est mandatum commonitorium scilicet *Instructio* ad singulos literarum comitrialium articulos aliosque casus incidentes directa, juxta quam ablegatus in suffragiis ferendis sese gerere debet. Denique ob personæ conditionem mediate comparent *Abbatissæ, Pupilli, minores.* *Abbatissæ* tam secularis quam ecclesiastici ordinis jus quidem comitiorum habent, sed PP. virorum confessu excluduntur, quippe convenientius ob pudorem ac majestatis Imperii splendorem habetur, ut in comitiis per nuntios suos *Instructos* compareant. Item *pupillorum minorumq; nomine*, cum ne sibi, nedum Reip. curis vacare valeant, tutores curatoresve in comitiis comparent, donec perveniant ad ætatem legitimam. Notandum quoque hic, quod & ipsi tutores alios ad comitia nomine tutorio ablegare possint, prout factum à Friderico VVilh. Duce Sax. cum Christiani II. EE. Sax. tutor esset, in comitiis Spir. anno 1600. V. Recess. subscript.

XXXI. Denique Status comparens humaniter excipitur, quod fit dum præsentiam nomenque suum Cancellario *Moguntinensi*, nec non *Mareschallo Imperii* indicat, hunc in finem, ut commodo recipiatur hospitio, & sciant illi quinam status præsentes, & ad Senatum convocandi sint. *Autor de com. August. c. 2. ibi: vnd mus der erscheinende Stand.* Et præfertim ablegati Cancellario Mogunt. mandata sua exhibere, eaque ut actis Imperii pro habilitandis suis personis insinuentur, sollicitare debent, qua de re & aliis ablegatorum expeditionibus *Vid. Aut. de com. August. c. 2. ibi: die Gesandten.* Et publicâ lege constitutum est, ut *Mareschallus de Pappenheim*, qui est vice *Archimareschalli Electoris Sax.* V. A. B. tit. 25. ante statuum accessum ad locum Comitiorum maturius accedit, hospitia distribuat, certaq; statibus eorumve nunciis ac legatis exterorum assignet per nominum adscriptionem durch Anschreibung. Liberum enim non est, Mareschallo, cui jus adscriptionis competit, non requisito feligere divisorium. Porro de officio Mareschalli, quod est circa res

zilat



res promereales, ut justo pretio pondere ac mensurā divedantur: circa excubias, ne extra mœnia ab hostibus irruptiones fiant, vel intra mœnia tumultus ac seditiones excitentur, latè tractatur apud alios. Ob hæc & alia Mareschallo quoque competit jurisdiction, quam exercet in Legatos eorumque familiam ac advenas omnes, sicut Mareschallus Aulæ Cæsar. in illos qui Aulæ sunt addicti, Senatus oppidanus in suoscives eandem exercent. *Vid. Bertram. d. tr. th. 60. & seq.* ubi refert transactionem, inter Mareschallum, & civitates Imp. circa jurisdictionis exercitium, initam.

XXXII. Hæc tenus de Statuum Imp. conventu, quo facto, Tractatus comitalis instituitur. Hujus tum *causas*, tum Effectum præstat explanare.

XXXIII. Imperator unà cum prædictis *Ordinibus* hoc negotium tractat. Ordines enim Imp. cum Imperatore, à quo als dem Oberhaupt im heiligen Reich/ *R. I. de anno 1506. §.* vnd nach dem/ velut magni corporis artus, *R. I. de anno 1542. §.* vnd wie wol/ dependent, de summa Reip. simul tractant atque decernunt. Vnde Maximilianus I. inquit in *R. I. de anno 1512. in pr.* Haben wir vns mit des Heil. Reichs Ständen/ vnd sie mit vns als ein Christlich corpus vnd Versamling/ gegen vnd mit einander vereiniget. Hocque institutum sapientissimum semper habitum, Spretô *Marchivalli* svasu, qui *in libr. de Princ. c. 23.* dicit, *Principes in tam variis negotiis ad omnia satis esse perspicaces.* Impossibile quippe erat tantam regiminis Imperialis gravitatem per unum sustineri. Idcirco pro communi bono adjutores in curarum partem opus fuit deligere,

*Vt super Ecclesiæ seu regni iure salubri*

*Consilio monitus virum formare laborent.* *Gunt. in Lig.*

De quibus rectè dicitur, quod ab Imperatore autoritatem in censendo, ac decernendo magis, quam in assentiendo omnes junctim sibi communicatam habeant. Perperam itaque fecit Xerxes, qui Asiae Principibus convocatis, bellum Græcia in dicturus, dicebat: *ne viderer meo tantummodo usus consilio,*

*vos contraxi, ceterum mementore parendum magis vobis, quam  
suadendum. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 7.*

XXXIV. Deinde consistit iste tractatus in certis ca-  
pitibus, Imperii necessitatem, vel utilitatem concernenti-  
bus, quæ in Comitiis ad deliberandum Statibus proponun-  
tur. Hæc juxta Stylum Comitiorum vocantur proponirte  
**Puncten vnd Articul.** Interdum minus principalia inci-  
idunt, quæ statuum gravamina particulariter respiciunt: e-  
adem si status prius cognoscenda esse contendunt, quam  
principalia capita in deliberationem deducantur, prout in  
aliquibus comitiis factum meminit Bertram. d. tr. th. 71. exiti-  
sum hoc erit bono communi. Vnde Rudolphus II. negotio  
principali per minus principale impedimentum opponi  
prohibuit in punto sessionis. R. I. de anno 1603. S. vnd dem-  
noch sich.

XXXV. Nunc ad formam Tractatus transeundum,  
quæ requirit tum præparatoriatum essentialia. Præparatoria con-  
sistunt in sacrorum peraftione in templo, ac deinde ordinum'fes-  
sione in curia.

XXXVI. Postquam itaq; ab Imperatore ejusve Commis-  
sario prima facta est denunciatio, ut Status certà die ac horâ ad  
audiendam propositionem in curia conveniant, & subsecu-  
ta comparitio, pro felici primùm auspicio templum D E I  
omnes splendidâ processione, de qua A. B. c. 21. c. 22. accedunt  
& celebrationi Missæ intersunt, prout idem quoque ante e-  
lectionem Regis Rom. fieri ordinatum est in A. B. tit. 2. Hunc  
verò ritum August. religionem profitentes saltem observant  
comitando Imperatorem ad aram usque, sed dum sacra  
Missæ fiunt illi secedunt, ac postmodum hisfinitis iteruin ad  
comitandum accedunt. V. Aut. decom. Aug. c. 3. Cæterum cur  
iidem, sacris his salvâ conscientiâ non possint adesse, ut qui-  
dem putat Bertram. d. tr. haut satis perspicio. Illud verum  
est, Status Augustanæ religionis adhunc ritum requiri non  
propter confessionem & approbationem; sed officii causa,  
in quo obsequium sanâ conscientiâ exhibere possunt. Extat  
hac de re consilium Balth. Bidembachii apud Dn. Arum. d. tr. c. 7.

XXXVII.



**XXXVII.** *Sacris peractis ad curiam itur, istuc cum Proceres pervenere, Imperator in solium suum loco eminentiori positum consendit: PP. Electores suam quisque sessionem juxta Constit. Carolinam in A.B. c.3. c.4. sibi assignatam occupant: deinde reliqui quoque sessiones suas & loca subintran. Ast nimium quantum PP. de Ordine & Prærogativa sessionis inter se concertent, ita ut inter PP. EE. Ecclesiasticos & Abbatem Fulensem Augustæ Cancellarium perpetuum variæ etiam, & quandoque sanguinolentæ contentiones fuerint excitatae. Vid. Buxtorffius ad A.B. concl. 40. lit. g. h. Verum equidem est, ex ordine sessionis præeminentiam dignitatis vulgo æstimari, ac Illustriorum proprium esse, de honore & gloria certare, unde terminos dignitatis antiquos movere plenum opus periculi esse perswasum habent: attamen utilius est hæc jurgia in aliud magis appositum tempus differre,*

*Publica ne pereant privatos propter honores*

**Commoda.** *Quod malum satis advertit Rudolphus II. ac dehinc in aliquot Comitiis circa jus procediæ discordantes Augusto decreto concordare Promisit. V. R.I. de anno 1603. §. Der in dem heiligen Reich. Sed lis adhuc pendet, quæ, nisi certo ordine sessionum ac dignitatum, secundum consuetudinem, prout eam quæque familia actibus possessoriis inveteratam obtinuit, definito, finiatur, perpetua erit. Interea ne publicis negotiis remora continuo ponatur, interest pro re nata strictè non uti suo jure, quod quandoque cum protestatione quidam faciunt, qua de re etiam expressè in Recessibus Imp. cautum legimus. V. R.I. de anno 1555. §. Es sol auch die session. R.I. de anno 1613. §. Und sol auch für dißmal die bey jßigem Reichs Tage gehaltene session, wie auch desselben subscription, niemand an seinem hergebrachten Gebrauch in einigem nachtheilig oder etwas præjudicirlich seyn. De Ablégatorum sessione dicendum, quod quisque domini ablegantis sedem ordinariam occupare possit, nisi in eodem ordine principes in persona ad-*

sint, qui a b legante, quoad sessionem sunt inferiores. Eos enim Legatis anteferri omnino condecet, *V. Aut. de Com. Augst. c.5.* Legati autem inter se sese domini sui sessionem & ordinem observant.

XXXIX. Porro Tractatus Comitalis *essentialia* consistunt in *Propositione*, *Consultatione*, *Relatione* & *Confirmatione*.

XXXIX. Principiò jussu & nomine Imperatoris, cui solum *ius proponendi*, ut Præsidi comitiorum, competit, Princeps aliquis ordinibus gratias agit pro obsequioso accessu, cum adhortatione ad auscultandum quid in comitiis indicetis proponi ac tractari necessum sit. Notandum, quando Imp. commissarius præsidet, hoc per consiliarium quendam expediri solere. Mox Cæsareæ Majest. Secretarius aliusve *Propositionem* ex breviculo recitat, quo facto Imperator ipse circumstantes admonere solet, ut de singulis propositis seriâ diligentia consultare ac suffragia sua sibi suppeditare velint. Post hæc totus senatus consurgit, & habita in quovis ordine deliberatione, Moguntinus Archicancell. ejusve Cancellarius nomine omnium Cæsareæ Majestati gratias submissè reponit, pro impensa ac paterna erga Imperium providentia, nec non omnimodam diligentiam, ac voluntatem de capitibus propositis deliberandi offert. Eorundem deinceps, quia ardua plerunque sunt, & plura, copia peti solet à Præside comitiorum, qui hanc ex Cancellaria Mogunt. communicari permittit. *Vid. Aut. de Comit. Aug. c.3. vers. Wann nun/ Dn. Arum. d. tr. c.7.* ubi etiam modum comunicandi copiam propositionis explicat.

XL. Dehinc ad *consultationem* devenitur, cui congruens tempus in comitiis præfiniendum. Consultatores enim partibus suis fungi debent, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione, sunt verba *Vlpiani IC*xi**. Ideoque ut omnia competenter gerantur, totius regii hujus *Senatus tres* constitutæ sunt classes, quarum quævis, postquam omnibus facta denunciatio, ut statio die ac hora conveniant in curia, seorsim rem ad consultandum assumit. Obiter

biter hic observandum, quod prima denunciatio die erste Ansag vff einem Reichs Tage ad comparendum in curia fiat per Mareschallum Imp. ad jussum Imperatoris ejusve Commissarii. Subsequentes deinde denunciationes itidem fiunt per Mareschal sed ad jussum Cancellariæ Mog. V. Aut. de Com. Aug. c. 4.

XLVII. Congregato itaque PP. EE. Senatu, Moguntinus per suum Cancellarium iteratò proponit capitula tractanda, ac Coelectorum placitum de processu deliberandi in ordine capitulorum exposcit, de quo deinceps cæteri Senatus certiorandi, damit in dem gleich fortgeschritten vnd in relationibus confusio vnd Missverständ verhütet. Post hæc Moguntinus à Trevirensi, Coloniensi, Palatino, Saxone & Brandenburgico viritim suffragia colligit, ac tandem ipse met suam sententiam, rogante Saxone, exprimit. V. A. B. c. 4. Aut. d. Com. Aug. c. 6. Hoc votorum scrutinium unâ, alterâ ac tertiâ vice instituitur, donec vel omnium unanimis sententia vel votorum majoritas exaudiatur.

XLI. In altero senatu Principes conveniunt, inter quos Ecclesiastici sessiones in latere dextro; Politici vero in sinistro occupant, unde iuxta styl. comit. Die geistliche vnd weltliche Banc. Austriacis tamen & Ducibus Burgundiæ cum Ecclesiasticis sedere in præminentia signum concessum est. Dn. Arum. d. tr. c. 7. Diversimodè in hoc senatu iure suffragandi utuntur: PP. Eccl. & Politici, Magistris ordinis Teut. Abbates & Abbatissæ principali dignitate corruscantes singuli suffragia ferunt; Prælati vero reliqui omnes duo tantum habent suffragia, unum Svevici, alterum Rhenani. Similiter Comites & Barones votum unum respectu Svevicorum & alterum resp. VVetteravicorum habent. Votorum autem Inquisitio Mareschallo Imp. competit. Aut. de Com. Aug. c. 7. ubi plura de officio Mareschalli. Deinde Archiepiscopus Salisburgensis & Archiduces Austr. dirigendi prærogativam in hoc Senatu alternatim obtinent, eaq; consistit in proponendo referendo & aliis. V. Dn. Arum. d. tr. c. 7.

XLIII.



**XLIII.** In tertium Senatum eunt Civitates Imperiales ac  
considunt in duobus scannis, **Rhenische vnd Schwäbische**  
**Band.** Directorium hujus Senatus competit civitati in qua  
comitia celebrantur, quæ ad hoc negotium certos ex ordine  
Senatorio Deputatos adhibet, iisque deinde per unum direc-  
torem omnia expediunt, proponendo, vota inquirendo &  
referendo. Director autem vota querit primo à legatis ci-  
vatis Colon. in scanno Rhenano, secundo à legatis ci-  
vatis Ratisp. in scanno Svevico, & sic porrò alternatim con-  
quirit. Deinde sciendum, civitates jus saltem duorum vo-  
torum habere, quæ etiamnum hodie non tantum ad *consul-*  
*tandum*, verum ad *decidendum* quoque ut valeant æquum est.  
Illas enim esse Status Imp. in confessu est. Quare itaq; jus  
sessionis ac simul suffragii, siquidem ex eo Status Imperii æ-  
stimantur, minus obtineant. Hoc insuper literæ evocato-  
riæ demonstrant, in quibus formula hæc: *Das sie mit vnd*  
*neben andern Ständen handeln Rehtschlagen vnd schliessen*  
*wollen.* item subscriptio *Recess.* qua cum cæteris Statibus  
confitentur *das alles mit ihrem guten Willen vnd Reht*  
*vorgenommen vnd beschlossen sey.*

**XLIV.** Post consultationem sequitur *Relatio & Corre-*  
*latio.* Electores quando in puncto uno vel altero concluse-  
runt, conlrium ad Senatum PP. referri curant: Principes  
postea quæ sua sit sententia vicissim ad Senatum EE. referunt.  
Quod si EE. & PP. ex mutuâ demum suggestione votorum  
consentiant, vel quilibet in sua persistant opinione ac dis-  
sentiant, civitatum legati utroque casu ad EE. & PP. sen-  
tentias audiendas citantur, & ut ipsimet sua quoque subjun-  
gant suffragia admonentur. Tandem Imperatori trium Se-  
natuum placita referuntur, qui ea revidet. Hic si consentit,  
res est confecta; si vero dissentit, ulterior inter ipsum ac sta-  
tus intercedit disceptatio, donec in idem placitum fiat con-  
sensus. De relationibus hujusmodi V. *Antor. de Com. Aug. c. II.*

**XLV.** *Conclusion* denique superadditur, quæ perin-  
de ac in electione Regis Rom. de qua A. B. c. 2. secundum  
maiora



majora fit vota. V. R. I. de anno 1576. §. Da dann die Sache /  
R. I. de anno 1594. §. da dann die. Immo in omnibus conven-  
tibus & collegiis per totum Imperium R. G. juxta majora  
vota fit decretum. Excipere tamen volunt causas aliquot,  
in quibus majora locum non possint habere, prout etiam à  
Correspondentibꝫ evangelicis eadem in Comit. Ratisp. an-  
no 1613. Imperatori exposita, V. Dn. Arum. d. tr. c. 8. Besold. in  
Tbes. pr. verb. meiste Stimmen. Sunt quidam, qui vota mi-  
nora, si saniora sunt, majoribus præferenda esse existimant.  
Posset quidem de hoc disputari, cum hoc in casu majora  
vota pro nullis haberi debeant & saniora, licet numero sint  
pauciora, in effectu majorem partem constituant. Verū  
res sanè difficilis esset, divinare quānam saniora essent, &  
potius ἐκ ὀρθολόγης quām ὅπῃ τὸ πλεῖστον accideret, ut pars  
major in maximum Imperii præjudicium quicquam delibe-  
ret. Observatur itaq; sola votorum majoritas. V. Buxtorff.  
ad A. B. concl. 34. Denique Tractatus conclusio tam statuum  
quām Augusta Imp. autoritate in vim contractus conficitur,  
quamvis in comitiis votum Imperatoris sit supremum &  
quasi approbatorium cæterorum. V. R. I. de anno 1564. §.  
Haben wir die Berahschlagung.

XLVI. Succedit deinde Confirmatio. Ttactatu namq;  
taliter habito, Moguntinus ut Archicancellarius per Ger-  
maniam omnium deliberationum per relationes & correla-  
tiones initas conclusiones, quoad scire has interest, in unum  
contextum, concept eines Abschreibens/ redigi curat, quod  
deinde coram Deputatis ex toto regio Senatu publicè recita-  
tur, ad præcognoscendum utrum transcripta etiam conclu-  
sis justo stylo respondeant. Quomodo autem fiat hæc depu-  
tatio, refert Aut. d. comit. August. c. 13. Deinde transcriptum hoc  
in formam Recessus ordinatur, ejusque duo in membranis  
conficiuntur exemplaria, quæ Imperatoris statuumque sub-  
scriptione ac ob signatione authentica redduntur.

XLVII. Subscriptio, quæ olim varia fuit, V. Limn. lib.  
p. c. 1. hodie solennis est. Secretarius Moguntini Archi-

D

cancel-



cancell. ex catalogo præsentium, & mandatis absentium  
Cancellariæ Mogunt. oblatis, statuum ac legatorum nomi-  
na consignat, ac singulis Senatus consignationem suarum  
personarum exhibet, ut & hic, perinde ac in sessione, quili-  
bet circa præcedentiam suam sollicitus esse possit. *V. Aut.*  
*de Com. Aug. c. 13.* Hæc nomina deinde Recessui subjungun-  
tur. Cumque subscriptio talis indigit consensum ac com-  
probationem subscriptentis, probatu erit difficultum, dis-  
sentientes teneri subscribere. Nihilominus tamen dissen-  
tientium & protestantium nomina in Comit. August. anno  
1555. ut & in aliis, Recessui subscripta fuere, contra quod  
status protestantes in Comitiis anno 1613. conquesti sunt,  
asseverantes nunquam receptum esse ut Status qui Recessum  
aliquem comitialem unâ adprobare nolint, subscriptiones  
vel sigilla adponant. *V. Dn. Arum. d. tr. c. 8.* Et licet subscri-  
ptio protestantium nomine quoque adposita sit Recessui, il-  
lam tamen accommodari saltem ad ea, quæ ipsorum volun-  
tate & consensu adprobata fuerunt, rectè dicimus. Vnde  
Status Protest. in Recess. d. com. de anno 1555. §. vnd wir / con-  
fessi, das alle vnd jede obgeschriebene Puncten vnd Articul/  
also wie obstehet / nimirum interpositâ protestatione, con-  
tra articulum de Reservato Eccl. utpote legitime nondum  
decisum, mit ihrem Raht ic. beschlossen, jus suum reser-  
vasse dicendi sunt.

**XLIIX.** Accedit itidem *obsignatio* pro authentican-  
da fide actorum, quæ primùm à Cæsarea Majest. deinde cer-  
tis Proceribus, sed nomine omnium, ac tertio à Civitate, in  
qua comitia habentur, omnium quoq; vice perficitur. Hæc  
sigillorum appositiō quomodo quandoq; fuerit celebrata,  
ostendit *Limn. lib. 9. c. 1.* & quatenus hodie in observantia,  
refert *Aut. de Com. Aug. c. 13.*

**XLIX.** Et hæc de forma Tractatus Comitialis. *Finis*  
in hoc consistit, ut propositionis articuli communi consilio  
perpendantut, ac quæcunq; pro Imperii necessitate ac uti-  
litate fore videntur, circa eosdem decernantur. Quem  
ple-

plerumque innuant Recessus Imperii V.R.I. de anno 153. 5.  
Diesein nach.

L. Ex his deniq; existit Decretum comitiale seu Recessus Imperii Reichs Abschied / nempe communis Imperatoris ac statuum Sponsio , parendi necessitate adstringens tam ipsum Imperatorem , quam reliquos Imp. status. Recessus hic instar legis est , & per modum conventionis , cui nihil magis congruum , quam ea , quæ placuerunt servare , inter Imperatorem & status initur , prout s̄epissime Clausulæ obligatoriæ in Recess. Imp. admonent. Hac quoque parendi necessitate absentes , æquè ac si cum præsentibus in Decretum seu Recessum consensissent , obligantur. V.R.I. de anno 1541. 5. Wie auch Thurf. Quod etiam clausulâ comminatioriâ in literis convocatoriis , de qua supra , præmoneri solet. Et alias ita comparatum est , ut quod major pars curiæ effecit , pro eo habeatur , ac si omnes egerint , juxta Scævolam ICtum.

LI. Tandem Imperator , ut majori in observantia & evidenter notitia Decretum comitiale habeatur , Status ad auscultandam publicationem ejusdem in curiam convocare jubet , ubi Moguntinus , in confessu Imperatoris omniumq; statuum , Recessum Imperii publicè recitat , quo facto , Cæsarea Majestas omnes ad ejusdem observantiam adhortatur , ac ulterius paternam providentiam erga Imperium pollicetur. Deinde publicati Recessus exemplar unum Cæsareæ Majestati porrigitur , quod in des Reichs Hoff Canzley / alterum Moguntinus Archicancell. retinet , quod in des Reichs Canzelen asservatur , ex qua etiam copia illius ad Cameram Imperiale transmittitur , ut secundum eam processus decernatur , ac justitia administretur.

LII. Quando itaq; negotium Comitiale confectum est , fit rursum Comitorum dissolutio per discessum Statuum. Descendunt autem Status cum venia Imperatoris , cui ut domino suo ob eandem anteà offerre solent debitam reverentiam. Sine Imperatoris enim permisso nec ipsis Statibus , nec ab-



AK  
III  
1778

sentium Legatis liberum est vel finitis comitiis, vel alias ob causas necessarias, durantibus adhuc iisdem, à loco Comitali recedere. V. R. I. de anno 1546. S. Dieweil vir. Atque hæc de Comitiis Imperii R.G. pro tempore ac scopo nostro, breviori stylo ac filio explanasse sufficiat.

## Corollaria.

I. Septenarium testium numerum ius nostrum. C.R. non solam quoad formam testamenti probatoriam; verum etiam quoad formam eius substantialem requirit, nec de eo quicquam tempore pestis remittit.

II. Damnatos ad mortem etiam hodiè de jure Novell. testari non posse verius est.

III. Species quasi contractus etiam est Indebiti solutio per errorem facta. An autem ex eadem, atq. sic ex titulo putativo, dominium transferatur? ita putamus.

IV. Ut autem indebitum repeti possit, errore facti, non iuris, solutum aliquid fuisse oportet.

V. Exception non-numeratae pecuniae post bienium, si debitor onus probandi in se recipiat, opponi potest.



W.M.

B.M.II.122.

h.29, 2i. INAV

CC  
PE

DECRE  
RISS

DN. I  
I.V.D. & P  
cultatis I

PRO D  
sum

DAN

Ex officina

16.c.r.



ATIO,

IM-  
O.

E CLA.  
NIS

CHII,  
narii, Fa-  
otoris ac

EM QVE  
bus

ensis.

ad. typ.

